C.S. SCHURZFLEISCHI DISPUTATIONES HISTORICAE CIVILES, COLLECTAE, ET VNO…

Konrad Samuel Schurtzfleisch, Joachim Ernst Mergo

I.

ARduum Principis munus, et grave iis, qvi regunt: salutare contra his, qvi reguntur. Sed ut alibi, ita hic studia mortalium diversa. Sunt, qvi suscipere recusent: sunt, qvi susceptum nolint retinere. Illi defugiunt onus, qvia imponendum. * Hi, qvia senserunt, impositum fuisse. ** Vtriqve aestimant curarum molem, atqve adeo optant qvietem.

* *De Tiberio nil memoro. Simulabat nolle: revera volebat. Tac. A. 1. Qvinimo recitandus hic Helvius Pertinax est, cui ex eo nomen haesit, qvod repugnaret S. C. qvodqve declinare imperium mallet, qvam suscipere. Suscepit vero tandem, cessitqve eligentium postulatis. A. Vict. in hoc Imp. Decius adeo renitebatur, ut strictis ensibus cum eo agerent milites, id est, cogerent repugnantem. Pomp. Laet. R. H. Comp. in Philipp. Non secus de Iuliano traditum. Recusanti imperium stricti enses intendebantur. Praeter Iulianum memorandi Iovinianus, Valentinianus, Michael Curopalates, alii. Mechtildis singulare hic exemplum. Prorsus invita regnavit, et cogentibus se imprecata diras est. Vid. Pasqvierius les recherches de France. De Carolo Crasso instauratore imperatorii decoris inter Ostrofrancos (ita appellat Vrspergensis) refert Frisingensis, multis iisqve repetitis obtestationibus tandem eo adductum, seu, ut ipse scribit, precibus pulsatum. A. 881. Eodemqve spectat Henricus Auceps, primus ab excessu Carolingorum, Saxonum Francorumqve Rex. De qvo Au. Compilat. Chron. A. 924. haec commemorat. Iste, inqvit, dictus fuit Auceps, qvia, dum caperet aviculas, renitens electus est. Conf. Siffridus Presb. ad A. 924. Ceterum hi recusarunt aliqvantisper, cessuri, cum essent, qvi acrius instarent. Hinc Ant. Mag. Chron. Belg. pag. 75. ait: Regiae dignitatis culmen prius humiliter declinavit: at paulo post non ambitiose suscepit. Observanda hic in transcursu vox regiae dignitatis. Imperatoriam enim non habuit, neqve habere voluit. Qvin spre-*

vit oblatam. Causam exponit Vrsperg. A.928. Add. Mart. Polon. Chr. A. eod. Recentius exemplum superioris aevi est Fridericus sapiens, gloria suae gentis, Electorumqve Saxonicorum decus, qvi nil imperii causa recusavit, saltem imperium suscipere abnuit, abnuendo etiam constans ac plane flectendi nescius fuit. Vid. Erasm. l.13. ep.4. Secutus ita exemplum Ottonis, Patris Henr. Aucupis, est, de qvo apud VVitichind. Corbeiens. A.1. p.6. Cusp. in Conrad. et Sleid. lib.3. de Monarch. De laude eius extat apud Auct. rerum memorabil. Paralip. ad Vrsperg. A.1519. Vnum subit mirari hic, nescio magis propter invidiae, an odii minime laudandi exemplum. Auferre hanc gloriam Principi, et delere ex annalibus. Funccianis Hispani nuper sunt conati. Sed deleant, expungant, expurgent. Praedicabit Germania Principem, et nunqvam conticescet de veritate huius facti. Laudandus hic Gabrielis Bucelini candor, qvi dum alibi nostros praeter meritum sugillat, iam victo veritate animo, laudat testimonium Erasmi, Annal. p.130. ** *Argumento sunt Diocletianus et Maximianus Herculius. De utroqve Eutropius Brev. Hist. Rom. lib. 9. et Idacius in Chron. qvod primo a Scaligero, mox ab And. Schotto editum correctumqve est. De Carolo V. meminerunt Emm. Metteranus lib.1. G. Ens Mauritiad. lib. 1. VVilhelmus Godelevaeus in narrat. de abd. Carol. V. Famianus Strada ignotum Principem, aulae prodigium vocat. Sed qvomodo ignotum, qvod multis Principibus cogitatum, nec paucis impletum est? At vero aeqvum est, hic figuram aestimare et dicendi colorem.*

II. Nomen, qvod argumento accommodamus, tritum antiqvis, et notione ABDICANDI expressum. Hinc prodita formula et veterum fastis inserta: ABD.

Aubertus Goltzius Thesaur. rei antiq. p.182. Ritus, Ceremoniae non apud omnes eaedem. Plato autor est, designari consvevisse per Praeconem. Huius formulas componunt veteres. Sufficiat nominasse Qvintilianum et Valerium Maximum. Exemplo Manlius Torqvatus est. Cum Silanum, inqvit, filium meum, pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, et Republica eum et domo mea indignum iudico, protinusqve e conspectu meo abire iubeo. Non minus illustre patrui abdicantis exemplum, qvod apud Ann. Senec. reperire est Controv.1. Ex recentioribus allego Barnab. Brissonium, acri magnoqve iudicio Virum,

et

et incomparabilem illum Andream Tiraqvellum, optatum qvondam Theodoro Zvvingero Ducem. Qvadrat instituto nomen, significatio multum est diversa.

III. Ex his intelligas facile, cuiusmodi sit Abdicatio, qvae spectat ad hanc curam. Alibi familiam respicit et larem: hic sceptrum, fasces, summam in Republica dignitatem.

Expedit referre in praesens, rationem abdicandi non aliter constare hic, qvam si sensus eius pertineat ad universos. Nam qvae singulos attinet, privati imperii finibus continetur. Magistri sapientiae hac incedunt via. Nominant patriam potestatem. Hanc a iurisdictione in suos competente derivant. Causam ex gravitate in aestimatione morum sufficienti iudicant. A qva merito distingvunt eam, qvae mentione Imperii civilis, tanqvam contrarii sui, aut, si cum ipsis loqvar, notione privantis definitur. Documento Augustus est, qvi cum reddere Purpuram Remqve publicam destinasset, abdicatio eius, qvam volumus, significationis fuit. Svet. in Aug. cap. 28. Nec multum abludit Henrici vulgo II. exemplum. Qvi ponere Imperium paratus, obseqvitur tandem dissvadenti Richardo, Virdunensi Abbati, retinetqve adeo, qvod dimittere decreverat. Vid. Vet. Chronica, et ex iis Aut. M. Chron. Belg. A. C. 1014. Finge adeo regnare Flavium. Decedat a fastigio regis. Deserat stationem, et acerbam civibus vocem relinqvat: ABDICABO. Roget, obtestetur populus, ne abdicet: abdicet tamen; abdicet vere, abdicet plene. Flecti nolit. Flecti non possit. Iam privatus erit, sed ultra meram privati conditionem. Veteris vestigia sanctitatis, et priorum memoria beneficiorum hoc exigunt, hoc iubent. Potestas sacro-sancta affuit. Honor etiamnum debetur.

IV. Sed rem a capite arcessamus. Vetus abdicandi institutum est. Exempla identidem nova. Videamus de iure. Dehinc causas, momenta, rationes expendamus.

V. Tenetur Respubl. Principi, Princeps Reipubl. Illa ad obseqvium, hic ad defensionem. Munus utrin-

qve ſanctum, et nexus arctiſſimus. Maior tamen civium cum Principe, qvam Principis cum civibus. Spectemus fontes. Occurret vinculum diſpar. Abire Imperio, Principi integrum, et mero naturae iure conceſſum.* Subditis in parte obſeqvii nil tale licitum eſt. Eximere ſe Imperio, exuere Principis iuſſa, et foedare parendi legem nunqvam poſſunt. Obediunt Principi propter DEVM: propter Conſcientiam, qvae divini cuiusdam coeleſtisqve dictati in animos humanos demiſſi praeſentiſſimum argumentum eſt.

* *De ratione abdicandi merum ius naturale nil diſponit, nil praecipit. Saltem concedit, (parum enim hic permittere eſt) facultatem abdicandi. Et vero conceſſio haec prudentia dirigitur, velut duce. Circumſtantiis, ut ſaepe diverſae emergunt, inflectitur non raro. Cauſa ſane graviſſima eſſe debet. Dignitas, fides Principis nec per latus petiti. Amor qvietis utilitati publicae praeferendus. Cuius qvidem omne momentum in conſociatione civili poſitum eſt. Sed ſenium obtenditur atqve aetas ingraveſcens. At vero abdicationi non ſufficit. Qvin meminerit Princeps, Principem ſtantem oportere mori. Privatos fortaſſe corpus, ſe Remp. curare debere. Haec dignitas, hoc munus Principis eſt. Hoc adeo impleat, et vivat in exemplum ſuis, et praeſtet Reipublicae ſecuritatem. Vt ſatis iam obvium ſit, ius naturae, qvatenus a ratione civili informatum, ſvadendi qvoqve notione hic exerere vim ſuam, et ſuggerere illud: Imperabis. Hinc ſeqvitur, ut facile ne abdicet, abdicet, inqvam, citra graviſſimam cauſam, et inevitabilem adeo abdicandi neceſſitatem. Forte enim evenire uſu poſſet, ut abdicatio ad Reipublicae perniciem ſpectaret: ſaltem, ut inconſtantiae Principis praeberet exemplum. Maxime ſi tunc a Republica diſcedere vellet, cum Reipubl. maxime eſſet conſulendum. Cuius documentum rei nuper Imperator Moſchorum fuit. Hunc ceſſurum Imperio fama tulit. Iamqve tradere filio purpuram atqve infulas deſtinabat. Sed mutatus ex lege prudentiae animus, ſervatus Imperii honor eſt. Perinde qvaſi ex ſpecula proſpexiſſet futuros motus. Scelus hodieqve noſcitur*

tur

tur in Stephano Razino, vel ut alii nobis scribunt, Robaczino. Obscurissima hominis initia, imagines, claritudo nulla. Hic inqvies animo, et occasioni intentus, ultionisqve avidus seditionem Czaro perniciosam, posteris non sine aeterno autoris probro memorandam, concitavit. Dignus, cuius tam foedus exitus sit, qvam foeda initia fuerunt. Auguramur illi (et augurari aeqvum est) eum turbidarum rerum finem, qvem habuit nuper Rouvrius Chapellius, rebellis non ita pridem in Vivaretzii montanis. Supplicium fuit, qvale olim Metii Suffetii apud Romanos. Sed redeo ad abdicationem. Agitabat eam superioribus annis Ioannes Casimirus. Obloqvebantur Poloni et dissvadebant. Multi indignabantur. Ceteri stupebant. Omnes aegre ferebant. Tandem excusanti, et multis obtestationibus nitenti, ad sortem privati est consensum. Sed id cognoscere est ex monumentis rerum publice gestarum. Ceteroqvin dico: mero naturae iure: ut innuam, tantisper huius aestimari vim, dum lege aut pacto non impediatur huius concessionis effectus. Esto Aurelius. Evehatur ad Regnum electioni innixum. Dent, dicant Legem Ordines de non abdicando. Annuat, assentiatur Princeps. Stabit pactis conventis. Atqvi hic se exerit regula iuris naturae, eiusqve non svadentis, nedum concedentis solum, sed praecipientis, sed iubentis, suum cuiqve tribuere. At vero id suum cuiusqve est, qvod qvaesitum ex pacto est. Pactum ergo servari iuris naturae est. Cuius non debet Princeps oblivisci. Tantum abest, ut agnoscere non debeat. Qvid si vero obliviscatur? Qvid si non agnoscat? Monendus, obsecrandus [illegible] aestimet, ut agnoscat. Qvid si ne tunc qvidem velit? Nullum tribunal inter homines. Deo et foro interiori relinqvendus est. Addo hic, eousqve praesumi pro libertate abdicandi, donec contrarium eius non ostenditur inductum, idqve sive sanctione qvadam regni, sive pacto. Hunc ad modum Viosnievicio, Poloniae Regi, adempta nuper potestas abdicandi est. Edita pacti formula: approbata a Rege, obligabit Regem, donec concessurum fatis. Nempe hoc interesse sua, interesse publicae salutis, Ordines iudicabant. Sed qvid si interea Rex (id vero detestamur) regnandi moli impar fieret, et virium expers, ut olim Carolus Crassus? Aut regnum retinere vult, et relinqvendum est, contra, qvam accidit Carolo Crasso, et nuper in Lusitania Alphonso,

ſo, Ioannis Bragantini filio: aut deponere geſtit, et ſunt, qvi indulgendum putent ex cauſa publici boni. Cum rationes civiles aegre hic admittant legem, qvod tanta rerum ſaepe varietas ſit et viciſtudo, ut includi non poſſint et figi. Sit Licinius. Adminiſtret regnum legibus patriis fundatum. Viribus poſtea deſtituatur ad ardua Imperii neceſſariis. Senio, morbis conficiatur: nec convaleſcere poſſit, nec mori. Statuat apud ſe, abdicaturum: abdicet etiam. Num valebit Abdicatio? Vix remorabitur pactum de non abdicando. Vt qvod adverſetur naturae huius actus, cui aut lex non iici, aut legis titulo nil addi fortaſſe poteſt. Si qvid addatur, aeſtimari poteſt qvaſi non additum, et, ut formula praefert, haberi pro non adiecto. Qvod qvidem nullam difficultatem habet, ſi conſentiant in abdicationem, qvi impediendae eius poteſtatem habent, ſive ex pacto, ſive ex alio titulo. Sin diſſentiant, in foro iuris naturae et conſenſu Gentium ſtandum pactis conventis eſt. Innitendum legibus, acqvieſcendum inſtitutis Imperiorum. Nulla hic exceptio datur, nulla excuſatio proficit, nullum effugium patet, imo nec rima qvidem. Servandum, qvod promiſſum: aſſerenda veritas conventorum: tribuendum cuiqve, qvod cuiusqve eſt. Ni ſi tribuatur, iniuſtitiae argumentum eſt. Subtilitas de non adiecto non expedit interius vinculum, non ſolvit ſanctiorem illum nexum. Eſt Princeps in Republica Deus: eſt Reipublicae Pater. Videat, ne qvid deſtinet, nedum agat, qvod cum alterutrius iniuria ſit coniunctum.

VI. Qvod mores Gentium ſpectat, nullum nefas, abdicare. Vna omnium confeſſio, Principem non poſſe cogi. Si diſcedere a Regno velit, diſcedere impune: * ſin retinere praeoptet, exui non poſſe.

** Abdicare inter Gentes meri gentium arbitrii eſt. Qvi formulas ſcholae retinent, iuris Gentium voluntarii inde exemplum ſumunt, innuentes, iuri Gentium neceſſario, qvod appellant, hic nullum eſſe locum. Sed bene hi ſentiunt. Minus accurate loqvuntur. Certum alioqvi, pendere abdicationem ex nutu Gentium univerſarum, ſingulas tamen, et qvatenus ſocietate civili diſcretas, inhibere legibus conceſſionem poſſe, eoqve nuper inhibuiſſe Rempublicam Polonam.*

nam. De cetero duplex hic via. Aut experimento discimus, aut ratione. Illo constat, abdicationem esse freqventissimi exempli. Ac id facile noscendum in veteri Imperio Romanorum. Tum nostrati Germano-Romano. Praeterea in regnis sive cultis, sive barbaris. Eo referimus Hispaniam, Poloniam, Svediam. Addimus Italiam et multos Principatus. Exuit sacram purpuram, sive galerum suum Ferdinandus I. Mediceus: Epistolam eo scriptam reddit G. Ens Ap. 55. Exuit Ioannes Casimirus, et tandem exuit ipsum diadema Sarmatici regni. Abdicavit se Pontificatu Gregorius XII. Chron. Citizens. An. 1416. Bruno apud Huld. Mut. L. 16. Hucqve pertinet Iaponia. Exemplum in Iaponensium Dairis est. Taico-samma, in qvo ut Dairorum finis, ita Imperatorum Iaponiae initium est, successit Dairo sponte se abdicanti. De ceteris maxime herilibus Imperiis, eo minus ambigo, qvod, cum omnia possint, haud dubie possint abdicare. Documento erit Rex Gvineanus, qvi in mera mancipia dominatur. Subditis nil ut suum, omnia Regis arbitrio habentibus. Er. Francisc. in Flor. Gvin. Amer. p. 15. Qvid iam, quaeso, est, qvod impediat regem, qvo minus regnum, si velit, dimittat? Qvanqvam observo, rarius in dominatu, qvam Principatu abdicandi specimen esse. Causa ab intimis herilis Imperii visceribus depromenda, et profundiori qvodam arcano dominationis. Eadem in aliis regnis diversitas se offert. Nec enim tam freqvens abdicandi exemplum in regnis, qvae ex successione deferuntur, qvam in iis, qvae electione. Neqve procul vero est, et minime vacat exemplis, crebrius cedere Imperiis, qvi mero electionis iure imperant, qvam qvi successionem electioni immistam habent. Qvod ad rationem pertinet astruendae abdicandi libertatis, minime arduum est, astruere partim ex praesumpta libertate, partim ex suprema Principis potestate, qvatenus a pacto aut lege immuni. Modo iusta adsit causa, et cum abdicanti honesta, tum Reipublicae nullum periculum allatura. Provisum id Sarmatis, non passuris inposterum, diffundi abdicantium exempla. Sive qvod patientiam abdicandi tandem subire indignatio videretur, sive qvod in perpetuo Regis Imperio spem ponerent conservandae tranqvillitatis. Praesertim eo tempore, qvo nihil qvietum a Cosacis, nil immotum a Turcis Tatarisqve relinqvitur facile.

VII. Ceteroqvin ut regna et principatus, ſic abdicatio variat. Nam aut Imperia reſpicit, qvae ſucceſſione conſtant, * aut qvae electione deferuntur. ** Vtrorumqve diverſae leges, nec idem fundamentum. Illis Reges naſcuntur, his aeſtimantur, anteqvam Reges. In faſtigium recepti neceſſario retinentur. Vtriqve in eo pares, qvod poſſint abdicare. Diſpares, qvod non eodem ad poſteros effectu.

* *Regna, qvae ſucceſſioni, eadem iuri qvaeſito ſunt innixa, eoqve ita affecta, ut habeant ſucceſſores, non reqvirunt. Aget cum effectu, qvi pro ſe abdicabit. Qve pro poſteris, nil aget. Partum his ius nulla iuris ſpecie auferri poteſt. Ratio haec eſt exigenda ad exemplum, imo hoc ad rationem. Dabo Albertum Thuringorum Principem. Is abdicare ſe iure, cedere Thuringiae Principatum Adolpho Caeſari, Fridericum ac Theodoricum (aliis Titzmannum, Aut. Chron. Thuring. Tyzemannum) excludere ac privare adeo ſucceſſione deſtinabat. Conſtitutum ſucceſſionis ius extingvere non poterat. Aeſtimabat hoc ſapientiſſimus Myſorum Princeps Ditericus, Alberti frater. Vellem aeſtimaſſet Adolphus, nec bellum ſibi exitioſum conflaſſet. Manſiſſet certe, qvi fuerat, et ſtetiſſet in faſtigio Auguſtae dignitatis. Vid. Paul. Lang. in Chron. Citizenſ. ad Ann. 1294. et Chron. Landgrav. Thuring. cap. 7. 8. Tom. 7. Hiſt. Aug. in Adolpho. Aliud deſideras? Fingam, qvod poſſit extare. Niſi extat tamen. Eſto Auſtraſiae Ducatus. Abdicet Dux pro ſe. Ferri poterat. Sed abdicet pro Nepote, pro Agnatis. Aliud dicam. Negabo, pernegabo, poſſe abdicare. Explicabo cauſam. Hereditarius Ducatus eſt, cousqve ad poſteros et agnatos tranſiturus, donec poſteri atqve agnati erunt. Ex vetuſtioribus repeto Lotharium Imperatorem. Carolingus erat, expetebat religioſi Ordinis ſocietatem, ſubeunte animum taedio imperandi. Abdicabat ſe Imperio, ſpem ſuccedendi non adimebat filio Ludovico. Vetabat id patris affectus, maxime ius Carolingorum ſtirpi qvaeſitum. Nec hiſcere debebant Carolenſes, qvibus ex diviſione ceſſerat Francia occidentalis, proprio Galliae nomine inſignita. Functo*

cto demum Ludovico II. erigere se Carolus Calvus et decus suae inferre genti. Nullo iure. Renitentibus ipsis Romanis atqve agnoscentibus, qvibus Imperium debeatur. Brevis aevi honos, et cum auctore suo collapsus, et ne qvidem ad filium eius Ludovicum Balbum delatus.

*** De Regnis electione constantibus multo secius iudicandum. Si tamen certum sit, merae electionis iure contineri. Nam si successioni immista sint, eoqve aliqvid ex iure hereditatis trahant, multum abest, qvo minus una utrorumqve regula constituatur. Exemplum inter exempla erit Bohemiae Regnum. Erant Privilegia Ordinum, erant indicia electionis. Erant vero qvoqve argumenta successionis. Testantur id Regum superiorum tabulae, testantur successionum pacta. Ponam vero hoc Regni statu se abdicasse Regem. Abdicationis effectus non potuit redundare in heredes. Multo minus extendi ultra abdicantem. Non fundi ultra, non porrigi latius. Qvin stare hic, et contineri iis finibus, qvibus continebatur, qvi abdicabat. Vt hinc intelligas, nefas fuisse, vel cogitasse de regno Regi abrogando. Abdicare se Rex poterat. Invito, et hoc abrogare est, auferre nemo, nec Ordines poterant. Neqve vero illa abdicatio detrimentum afferre heredibus potuisset. Ius enim potiori parte hereditarium aeterna lege ad posteros transmittendum fuisset. Qvod hodie eo minus dubium, qvod veteri iuri novus iuris titulus, id est belli, accessit. His rebus factum, ut deflecteret ab ingenio antiqvo, nec alia, qvam mere hereditaria lege censeretur. Sed hoc plus satis ostensum. Videamus de Imperio Romano. Fixit hic sedem aeternitas rerum, fundavit hic Deus Augustum decus, vindicavit honorem nostrae genti. Divinum hoc corpus est, eoqve exteris tacite verendum. Libratum qvidem saepe variis casibus, nunqvam tamen ita concussum, ut subverteretur, nedum ut periret. Nempe habet augustae dignitatis accessionem Germania: habebit, donec Germania erit. Atqvi vero non leve hic argumentum, investigare, utrum Imperator possit abdicare: tum, si abdicet, qvousqve pateat abdicationis ille effectus? De priori illo ne dubitandum qvidem. Licet id Imperatori, Imperatorum exemplo. Ex non Christianis iam recitavimus plerosqve*

ſupra. Inter Chriſtianos qvoqve anteceſſores non pauci. Oſtrofranci allegabunt Lotharium I. Saxones Henricum II. deſtinatae abdicationis documentum. Iam ſceptra purpuramqve poſiturus erat, cum Praeſul, cuius apud eum magna auctoritas erat, diſſvadet inſtitutum. Svevi Agnetem Imperatricem dicent, de qva eſt apud Vrſperg. Chron. ad A. 1074. Multi forte Henricum IV. Imperatorem ipſum, ut qvi ſtatu rerum ſuarum afflictiſſimo Imperium filio tradidiſſet. Huldrichus Mutius Chron. lib. 16. Sed eventus docuit, coactum magis, qvam voluntarium hoc abdicandi opus fuiſſe. Nec moramur hic ſive nugas, ſive adulationes Monachi Nuſſienſis. M. Chr. Belg. Anno 1106. Haud multum diverſa Leonis I. inter Conſtantinopolitanos fortuna fuit. Martinus Polonus in Chron. A. 462. Huc referunt Hermannum, Imperii cum vita privata commutati argumentum. Vrſperg. A. 1087. Addunt qvoqve Bertholdum, ex Zaringiae Duce Romanorum Regem: ſed non multo poſt reverſum ad res ſuas. Vrſperg. p. 306. 307. Verum enim vero hic admonendum, neqve Hermannum, nec Bertholdum referri poſſe in exemplum. Cum diſceſſerunt a Regno, rebellare deſierunt, proprie ſe non abdicarunt. Minime hoc obſcurum. Abdicatio renunciando iuri, qvod qvis in Imperio habet, inventa inductaqve eſt. Sed qvomodo ſe qvis iure abdicabit, qvi ius non habuit? Fac rebellaſſe aliqvem Imperatori Mogolum: ſac Principem Patanenſem occupaſſe civitates Delli, Agram, primarias regni, alteram qvoqve eius ſedem. Redeat non multo poſt ad ſua, et Imperium fraudibus ac ſcelere partum ponat. Dicetur vulgo abdicare: proprie non abdicabit. Ea qvidem abdicandi ratione, qvae in morum aeſtimatione verſatur. Nil ſecius, neqve repugnante me, de Taffilletta diceres, ſi conſcientia factorum deſineret moliri dominationem, nec Africam ſibi contra ius faſqve deſtinaret, poneretqve adeo Imperium, inter vim ac rebellandi artes vix diu duraturum. Sed vero Sulla ante oculos eſt. Abdicavit ſe Dictatura: ſi abdicavit tamen, qvi invaſit. Simulacrum forte abdicationis eſt. Verae abdicationis menſuram non implevit. Niſi forte evenerit, ut purgetur corruptela, et vitium, qvod haeſerat, tractu temporis amoveatur. Amoveri autem conventionibus poteſt. Et ſatis de exemplis. De ratione

tione non attinet laborare. Licet Imperatori abdicare. Et iam olim Carolo V. licuit. Qvod eousqve intelligitur valere, dum non obstet causa, qvo minus non liceat. Desumi vero haec iam a Lege, iam a pacto potest. Extant sane Imperatoriae Sanctiones. Harum inspicienda vis, harum indagandus sensus, ex his iudicandum, qvid liceat in hac causa Imperatori, qvid non liceat. Demus factam esse sanctionem (facta autem hactenus non est) demus insertum esse caput, de non concedenda abdicationis libertate. Recipiatur, approbetur ab Augusto. Cessabit facultas abdicandi, et impedietur pactis conventis. Sed eius nullum hactenus in Germania exemplum. Si esset, reperirentur, qvi vellent suspicari, sic fortean muniri viam ad successionem. At nollem his assentiri. Tanto minus vellem ita suspicari. Metus qvoqve ille sine metuendi causa est. Servat sibi Polonia electionis libertatem. Non secus, atqve Germania. Legem tamen de non abdicando proxime tulit. Dicere simplicius mallem, non praesumere Electores, eum velle abdicare, cuius salute omnium salus continetur. Qvale auspicium, talem exitum sperant, spondent sibi. Fidem fide sanciunt firmantqve. Consilio consilium, etiam ubi necessitas poscit, auxilium addunt. Qvod si vero nihilominus contingeret abdicare: reddenda abdicationis formula Electoribus est, per Electores Ordinibus Imperii universis. Sed haec nota omnia, eoqve nec stylo indigent, neqve nostra cura. Saltem expediamus, qvod restat, qvaesitum. Res suo, qvod dicitur, pondere ac pretio aestimanda. Tempus, temporis acta expendenda. Sane iam ab excessu Henrici IV. mutatus Imperii status est. Nec eadem, qvae Ottonis tempore, facies durabat. Ibi successio valuit, certe pro maiori iuris augusti parte. Desiit succesſio: succesſit electio succesſioni. Nempe est qvidam rerum orbis, est conversio sicut humanarum, ita civilium rerum. Primum liberae electionis initium in Henrico V. eaqve hodie in usu nostri aevi, et tot firmata Augustorum sacramentis, ac tot repetitis Imperii legibus fundata, et gentis qvoqve nostrae ingenio maxime consentiens. Atqvi nunc facile intelligas, qvid dicto opus sit. Datur purpura Imperatori. Pro posteris non datur. Pro qvibus non habet, pro iis non potest abdicare. Nil enim habet, qvod eorum ratione sit con-

cessum. Nil ergo abdicabit pro iis, pro qvibus nil accepit. Si qvid accepit, ut certe accepit decus in orbe maximum, pro se accepit. Eius, qvi accepit, personam non egreditur. Nulli heredes, ubi merae ius electionis, ubi dantur successores, non nascuntur.

VIII. Ac summa qvidem illa potestas, qva Principes se abdicant, redditur Deo, et repetitur suae stirpi. Si capit successor, Dei beneficio capit. Neqve huius origo a mortali manu. Altius extenditur, eoqve nascitur in coelo, et inde deducitur in terras. Auspicium ultra mortales habet. Inter mortales solum exercetur. Nemo mortalium hanc auferre potest, * qvia nemo potest conferre.

* *Recte qvondam Mariae Scotae filius Iacobus VI. iudicabat, omnem Dei honestatisqve reverentiam exuisse, qvi statuerent de capite suae matris. Recitat verba prudentissimus scriptor Gvilielmus Cambdenus, Annal. rer. Angl. p.466. Nempe causabatur, neqve id abhorrebat a vero, iniqvissimum esse, ferre sententiam de regina, ferre de legitima regni herede, privare insuper eam successionis iure, et pro regnandi onere cruentam mercedem pacisci. Multo disertius Carolus I. Angliae Rex os oculosqve intuentis Praesidis in iudicio capitali Bradshavii dixit, regiam potestatem Dei donum esse, nec pendere ab Ordinibus regni, nedum eripi ab ipsis posse. Piget referre, qvid actum fuerit cum Edoardo II. Male habitus a suis, nec multo post regno pulsus fuit. Ioannes Laetus ut saepe alias, ita hic lepidum narrat aliqvid et certe fabulosum, dum sponte abdicasse refert Eduardum. Autor Dissertationis de oppugnanda Anglia hinc arripuit causam insultandi universae nationi, et exprobrandi studium rerum novarum; neqve deesse huic instituto voluit novissimus scriptor de belli eventu inter Brit. et Batav. Sed id percensere alienum hic, neqve idoneum argumento est. Satis est nobis, tueri sanctitatem regii nominis, tueri originem divinam supremae potestatis. Refert tamen annotari, Senatum Britonici regni Privilegiis cumulatissimum esse, et vindicare partem curarum regni, et belli una pacisqve res cum rege moderari.*

ri.

ri. Hinc illae superioris inferiorisqve regni consessus formulae, Les Seigneurs ont assentes. Les Communs ont assentes. Claudicat sane hic Claudius Salmasius, nec tempora distingvit recte, nec regni formam diiudicat accurate. Asserit causam regis. Allegat, conqvirit testimonia. Omnia satis pie, modo satis exqvisite. Est Anglia regnum, sed non patrimonii iure, aut berili qvadam ratione aestimandum. Conferunt cum Rege Ordines et decidunt: iudicant sanciuntqve. In arduis rebus omnibus consensum interponunt suum. Placeat, an displiceat, in Concilio referunt ad regem. Temperamentum ubiqve se exerit, et nexus qvidam arctissimus in rationibus interioribus regendi. Sed ex his existimari non debet, datum esse Ordinibus Imperium in Reges, aut saeviendi in eos potestatem. Si qvid defensionis causa possunt, sistant intra hos fines, vi abstineant, regemqve venerentur, ut Numen, et colant, ut Patrem. Atqvi nolo hic excutere superiorum temporum acta, depromi illa ex Bateo abunde possunt. In eadem causa noto Polonos ob Vladislaum Locticum, de qvo vid. Neugeb. Hist. Pol. lib. 3. Vngaros item ob Carolum Parvum, qvicqvid molliat purgetqve Petrus a Revra cent. 4. ror. Hung. Verum egressi limites instituti sumus. Iam paulo arctioribus spatiis ambulandum est, idqve intra metas nostrae gentis. Exauctorati saepe Imperatores et fastigio deiecti. Iure, an secus, ambiguum etiam inter prudentes nostri aevi. Venit hic in mentem responsi Adolphi Nassovii. Victo eo efferre se insolentius Albertus, iratoqve vultu exceptum vehementius alloqvi, ac tractare adeo praeter moderationis legem. Qvod accepisti, inqvit, Imperium, hic dimittis. Sed ferre ille iniqvitatem fati paratus, et respondere ingenue ad hunc modum: Esse id situm in Dei manu. Aut Paralip. ad Vrsperg. A. 1292. De VVenceslao recitat ex Emundo Monachus Nussiensis in magno Chronico Belgico p. 328. neqve vocatum, neqve convictum regno Germaniae privatum fuisse. Formula diplomatis extat apud Christianum Vrstisium part. alt. e Chronico Kongelshoviano desumpta. Paulo tamen aliter eam reddit ex Goldasto ille sub persona Francisci Irenici script. part. 1. p. 113. censetqve insuper, (si censet tamen, qvi dubitat) VVenceslaum forsan non iniuria depositum. Sed vero exempla haec sunt, eoqve non dant materiam

teriam

teriam iuris. Vtrumqve discerni oportet, priusqvam decernatur in hac causa. Nobis aeterna regula, solo eius auspicio adimi posse maiestatem, cuius benignitate concessa ipsa fuit, nec modo tunc, qvum uni concessa soli atqve adeo ex asse, sed etiam qvum concessa pro parte est eoqve ex semisse, et notione habendi divisim. Vnum addo, qvod pertinet ad detestationem Pontificu exempli. Dedit hoc negotium Gregorius VII. Vir proiectissimae audaciae, et stupendae obstinationis. Is ut strueret ad dominatum viam, diploma prorsus execrabile fecit, et saeviit diris fulminibus in Henricum IV. Verba bullae, qvam excors iste Pontifex vulgavit, plena malignitatis atqve iniuriarum. Huic tantummodo, inqvit, communionem reddidi, non tamen in regnum, ex qvo eum in Romana Synodo depuleram, restitui. Vid. Vrsp. et H. Mutius ex eo in Chronic. lib. 15. Qvot literae, tot scelerum notae. Hanc gratiam rependit Pontifex DOMINO suo BENEFICIARIO, Domino Romae, Domino Pontificum Romanorum. Vindicate hoc nefas, Caesares, et instaurate ius antiqvum. Patuit Italia Carolo V. Neqve Vobis interclusa est. Cessit qvaedam Pontificibus Henricus V. Augustus vester Antecessor. Sed non in praeiudicium supremi vestri iuris. Salvum id vobis etiamnum. Minimum cliens beneficiariusqve vester Pontifex est. Cetera, qvae intersunt Philosophiae, qvae versatur circa mores, repeti aliunde possunt. Multus in hoc argumento est Ioannes Henricus Boeclerus. Nos de eo disseremus alio loco, idqve separatim, et adeo cum cura.

§) (o) (§